Regio & unde dicta.

Situs.

Caelitas. Soli fertilitas.

Animalium varietas.

Imperium Majorum.

Urbes.

DUcatus *Wirtembergensis*, vulgo *Wurtembergerlant*, nomen habet a Wirtemberga Arce veteri in ejus fere meditullio sita, in edito colle, haud procul ab Eslingensi urbe Imperiali: alii aliunde derivant. Cæterum *Regio Wirtembergensis* in prima fere Superioris Germaniæ parte, tractum Sueviæ feliciter occupat, ad Nicri potissimum ripam sita. Conregionales illi ad Ortum Suevi, Vindelici & Norici: ad Occasum Comitis ad Rhenum Palatini, Principis Electoris & Marchionis Badensis Limites: inde Nigræ Silvæ juga complectitur: qua Meridies est Montes Arbonæ pariter ac Suevicæ Alpes (ita vocant Montes ejus regionis editiores Incolæ) prominent. Versus autem Septentrionem Francos habet vicinos, & non ita procul Ottonis Silvam. Aer hujus regionis saluberrimus est, æstate commodus, hyeme temperatus: Regio ipsa fertilissima, ita ut cum optima Germaniæ parte certare queat, ac primas etiam obtinere. Frumenti, Leguminum, Vini, Fructuum admodum ferax. Vniversæ tamen Regionis non eadem ubique qualitas, non idem Solo genius. Ea namque pars qua Neccarus oritur, quæque confinis Hercyniæ, tum quæ Suevicis (inter Danubium & Nicrum sitis) Alpibus est contermina, subaspera quidem Vitibus inimica, Pecorum cultui satis idonea. Ager in Alpibus lapidosus, at Frugum abunde ferax: item per Nigræ Silvæ cacumina, rubro colore tellus arenosa, quæ Frumento tamen satis abundat. Vbi vero Neccatus in campestria diffunditur, tota felix, tota beata est: undique Bacchi colles, herbida prata, fertiles agri, copiosus ubique Vini, Frumenti, Pomorumque proventus. Argenti quoque Fodinas hic Ducatus habet, haud procul a VViltbergo, ac dicitur Puelachium Opidum totum Æris fodinis superstructum. Producit & Ferrum & Æs. Reperiuntur etiam Lapides elegantibus ac variis coloribus, ut plurimum tamen cæruleo distincti. Vt videatur etiam Natura molita esse hoc loco Gemmas producere. Varii generis Animalium passim vis magna: ac per saltuosa Nemora Feræ innumeræ conspiciuntur. Ducatus titulum adepta est hæc regio anno CIↃCCCCXCV, Imp. Maximiliano conventum VVormacię celebrante. Hic enim *Eberhardum* Comitem VVirtembergensem ad dignitatem Ducalem evexit. *Eberhardus* Dux II amplius biennium non mansit in Ducatu, sed corrasis vasis suis aureis & argenteis primum fugit Vlmam ac deinde ad Principem Palatinum, mortuusque est apud exteros sine liberis. Tunc creavit Imp. Maximilianus *Vlricum* Eberhardi Nepotem. Hic an. CIↃIↃXIX, ditione pulsus & ejectus fuit, a Suevici fœderis sociis, cum Reutlingam Opidum Imperii fœdere ipsis junctum nuper cepisset. Patri Vlrico successit *Christophorus*: Christophoro *Ludovicus* Filius. Ludovicus denique Fredericum Georgii Comitis Montis Pelicardi filium successorē habuit. Sedes hic habuerunt olim suas *Intuergi*, Tschudo, Rhenano *VVithungi*. Item *Tectosages*. Ducatus iste veluti circularem hebet situm, complectiturque Civitates & Opida plurima. Præstantiores Civitates sunt *Tubinga* & *Stutgardia*. *Tubinga*, vulgo *Tubingen*, ad Neccarum sita, urbs admodum elegans, Cereris & Liberi donis abundans, quæ & copioso, & generoso proventu, tam Incolis, quam vicinis Suevis communicat, utramque Neccari ripam, lapideo ponte conjungit. Arce, vinifero colle, Canonicorum Collegio, & rei literariæ ornamēto, Academia, Studiisque liberalibus illustris.

In ea